EXCELLENTISSIMO

ATQUE

ILLUSTRISSIMO VIRO

DOMINO

GEORGIO

E COMITIBUS

FEKETE

DE GALANTHA,

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI

REGIS APOSTOLICI

MAGNÆ CRUCIS EQUITI,

JUDICI CURIÆ REGIÆ.

INCLYTI

COMITATUS ARADIENSIS

SUPREMO COMITI,

Utriusque Sacratissimæ Cæsareo-Regiæ Apostolicæ Majestatis

ACTUALI STATUS INTIMO,

ET

Ad excelsum consilium regium locumtenentiale Hungaricum

CONSILIARIO,

AD EXCELSAM TABULAM SEPTEMVIRALEM

CON-JUDICI,

ET

UNIVERSITATIS BUDENSIS,

STUDIORUMQUE PER INCLYTUM REGNUM HUNGARIÆ

SUPREMO DIRECTORI

FELICITATEM PRECATUR

Joſephus Jacobus Plenck.

EXCELLENTISSIME

ATQUE

ILLUSTRISSIME DOMINE

COMES!

DIU eſt, quod TUAM EXCELLENTISSIME COMES! bonarum omnium litterarum cognitionem amplam illam, ac prope incredibilem; inque iis fovendis, promovendisque vigilantiam, ac ſtudium indefeſſum admiretur Hungaria.

Academiæ quidem hujus ſcientiarum, cujus regendæ ſupremam curam nemini potuit committere felicius AUGUSTISSIMA PRINCEPS, *tanta cum gentis TUÆ commendatione non multis ante annis reparatæ gloria præcipue TUA eſt. TUA vero ſolius, quod novis illa, ac novis ſolidioris doctrinæ præſidiis inſtructior in eam ſpem excreſcat, ut peregrina deinceps au-*

xilia videatur Hungaria haud valde deſi-deratura.

Bibliotheca defuit; eam ut haberemus AUGUSTÆ *clementi beneficentia egregie fundatam TE PATRONO effectum eſt. Defuere ædificia recipiendis ægris, exercendæque practicis uſibus juventuti apta; jam id effeciſti magnis ſtudiis, ut illa ne deeſſent, probe gnarus medicas, chirurgicasque diſciplinas omnes ea eſſe natura, ut ab uſu, exercitationeque ſejunctæ intelligi vix, ornari vero novis remediis inveniendis, aut inventis olim confirmandis, poliendisque omnino non poſſint. Ita TU nihil facis reliqui, quod ad maternam* AUGUSTÆ DOMINÆ *expectationem explendam pertinere videatur. Atque erit EXCELLENTISSIME COMES!*

quum ſe TUUS hic tam amans Patriæ, tam ſtudioſus publici commodi animus humaniſſima perfundi voluptate ſentiet. Videbis redditam curis TUIS dignitati ſuæ ſalutarem ſcientiam: videbis ejectos e beatiſſimo hoc Regno veneficos agyrtas; videbis provinciam ab his male uſurpatam, probis, ſcientibusque artis ſuæ viris commendatam. Millia hominum depulſo mortis periculo gaudentium pro TE vota concipere, precari felicitatem videbis. Oſtentabunt TE parentes liberis, Nepotibus avi, memoriamque TUI, qua poſſunt via, grata meritorum in ſe TUORUM commemoratione æternitati commendabunt.

Hæc ſola virtutibus TUIS digna eſt merces EXCELLENTISSIME COMES! Harum ego admiratione in eam

cogitationem inductus ſum, ut hunc libellum in academicæ juventutis uſus comparatum ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO inſcribere cuperem. Addebat animos incredibilis illa TUA adverſus omnes animi propenſio, qui, etſi in re haud magna, conferre nonnihil ad promovenda optimarum litterarum ſtudia meditando, ſcribendoque connituntur. Induliſti hanc gratiam petenti tanta facilitate, ut prope ſpem ipſam præverteres: eaque ipſa re ſignificares, non ingratam TIBI eſſe pietatem meam, de qua ſic ſtatuas velim: nullius unquam paratiorem fore ad ſalutem tuam precibus ſupremo Numini commendandam, nullius in TE colendo, & obſervando ſtudioſiorem, nullius ad mandata TUA excipienda, curandaque promptiorem.